

manibus ante pectus junctis, postea autem, momente uno e clericis assistentibus, manibus disjunctis ante pectus, eandem orationem absolverat, sed dexteram manum super caput ordinandorum non extenderat. At eadem S. Inqu. 12 Sept. 1877 respondit nihil esse iterandum episcopo qui secundam hanc impositionem facere coeperat, sed intermiserat antequam orationem in Pontificali praescriptam recitaret. (Ball. P. n. 20 seqq.) Atque 30 Nov. 1898 hanc regulam dedit: ordinationem habendam esse tamquam certo validam, si episcopus manum extensam habuerit super ordinandos, saltem immediate ante recitationem: *Oremus etc.*; eandem sub condicione repetendam esse si nequidem immediate ante recitationem *Oremus etc.* illa manus extensio facta fuerit.

3^o Si quando episcopus erravit in pronuntiandis verbis quae tertiam manuum impositionem comitantur, dicendo ex. gr. *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiseras peccata retinentur eis et quorum retinueris remissa sunt*, secreto supplenda est eadem impositio cum sua forma, seu ab eodem, seu ab alio episcopo. In hunc sensum pluries respondit S. Inqu., ex gr. 9 Dec. 1897.

VIII. Dubiis circa traditionem instrumentorum solvendis haec proderunt:

1^o Probabilius ad valorem ordinationis non requiritur contactus instrumentorum *physicus*, etiamsi ipsa traditio essentialis dicatur: nam acceptatio aliis signis externis satis significari posse videtur. Sed cum sententia, iudicio S. Alph. (n. 743), probabilis tactum physicum ad valorem requirat, practice agendum erit quasi hujusmodi tactus ad valorem necessarius foret. Quare si *rationabile* dubium oritur num quis ordinatus physice instrumenta vel unum ex istis tetigerit, secreto iteranda erit sub condicione tota ordinatione, prout S. C. C. 28 Maii 1796 respondit de eo qui tetigerat tantum patenam calici suppositam, non tamen calicem ipsum. Sed plerumque in praxi hujusmodi dubium erit merus *scrupulus*: quare alias jam respondit S. C. R. (3 Dec. 1661; 21 Jan. 1863, etc.) nihil esse iterandum, sed tuta conscientia procedendum. (Ball. P. n. 26)

2^o Si quis existimaret se tetigisse quidem calicem et hostiam, minime vero patenam, hoc dubium tamquam merus scrupulus contemnendum foret, tum quia casus vix est possibilis, tum quia tangens hostiam mediate jam tangit patenam. (Ball. P. n. 27)

3^o Nullo jure requiriter ut tangatur hostia. Dicit enim Pont. Rom.: "Tradit (episcopus) cuilibet successive calicem cum vino et aqua et patenam superpositam cum hostia, et illam accipiunt inter indices et medios digitos et cuppam calicis et patenam simul tangunt." Quodsi tactus hostiae praescriberetur, dictum esset *hanc*, non *illam*, neque in fine omissa esset mentio hostiae tangendae. (Ball. P. n. 28)

4^o Sub condicione repetenda foret ordinatione presbyteri, si traditus fuisset calix sine vino vel patena sine hostia. (S. C. C. 11 Febr. 1708; S. Inqu. 11 Jan. 1899) Idem tutius foret si quando tradita essent calix et patena non consecrata, cum S. Alph. (n. 747) censeat practice agendum esse quasi talis ordinatione invalida foret. Speculative sentimus, cum Ball. P. (n. 29), consecrationem instrumentorum ad solam liceitatem pertinere, cum nullo jure statuatur eam requiri ad valorem, vasa autem non consecrata omnino sufficiant ad symbolicam repraesentationem, quam Ecclesia in tradendis instrumentis intendit.

CAPUT II.

DE MINISTRO ORDINIS.

430. I. Minister ordinarius validae ordinationis est quilibet episcopus. Hanc veritatem definivit Trid. (Sess. 23. can. 7), dum anathemati subiecit eos qui dixerint: "Episcopos... non habere potestatem.... ordinandi; vel eam quam habent, illis esse cum presbyteris communem."

Ad conferendum episcopatum regulariter episcopus duobus aliis episcopis stipatus esse debet. Hi tamen *assistentes* ad valorem minime necessarii sunt, ut liquido constat e traditione ecclesiastica et dispensationibus quae saepe concessae sunt ut episcopus solus, vel assistentibus tantum presbyteris, episcopatum conferret.

II. Minister extraordinarius validae ordinationis, quoad ordines minores et subdiaconatum, est presbyter cui haec facultas a S. Sede communicata fuerit. Nam, cum isti ordines probabilius non sint nisi ecclesiasticae institutionis (n. 425), R. P. cuilibet facultatem eos conferendi largiri potest; eam tamen reapse solis presbyteris communicare solet. Eam hodie habitualiter obtinent fere soli Abbates Regulares: hi tonsuram et minores ordines subditis suis Regularibus, nullis autem aliis, ut decrevit Trid. (Sess. 23. de ref. c. 10), conferre possunt. Quodsi eosdem ordines aliis conferrent, probabilius censemus cum Bened. XIV (de Syn. l. 2. c. 11. n. 13) ordinationem illicitam quidem, sed validam esse. Nam valor tandem pendet a mente R. P. facultatem ordinandi his inferioribus Praelatis concedentis. Jamvero, ex communi doctrina AA. et responsis S. C. C. quae videsis ap. Bened. XIV (l. c.), satis apparet, saltem usque ad tempora hujus Pontificis, hanc mentem fuisse ut ordinationes validae manerent. Perperam autem videntur Lucidi (de

Visit. SS. Lim. I. p. 64) et Gaspari (de S. Ordin. n. 959) ex uno responso S. C. C. unaque decisione Rotae Romanae (1) concludere mentem R. P. hodie mutatam esse : talis enim conclusio multum excedit praemissas.

Episcopatum vero et presbyteratum a nemine qui episcopus non fuerit, valide conferri posse, communissime docent AA. (S. Alph. l. 6. n. 762) Num idem de diaconatu valeat, non ita constat. Nam allegatur a pluribus Theol. privilegium quod Innocentius VIII (an. 1489) concesserit Abbatibus Cisterciensibus, conferendi diaconatum subditis suis. Sed, etiamsi de authentia documenti constet, dubium manet utrum per istud dirimatur controversia an R. P. forte, in concessione *singulari*, secutus sit opinionem probabilem, quae falsa esse queat (Ball. P. n. 38) De hac mere theoretica disputatione videsis Dogmaticos.

431. III. Minister licitae ordinationis (secluso privilegio a R. P. obtento) non est nisi episcopus proprius, vel cui episcopus proprius facultatem subditi sui ordinandi concesserit.

Quisnam sit episcopus proprius determinavit Innocent. XII, Const. *Speculatores* (4 Nov. 1694), cujus praecipuas dispositiones breviter recensimus. Nempe quadruplici ex capite potest aliquis episcopus esse ordinandi proprius :

1^o *Ratione originis*, vid. quando ordinandus natus est in ea dioecesi in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo ejus pater, quo tempore filius natus est, domicilium in eadem dioecesi habuerit. At si, eodem tempore, pater in ea dioecesi degebat tantum ratione itineris, legationis, mercaturae, vel cujusvis alterius temporalis morae, episcopus originis quoad filium censendus erit ille in cujus dioecesi pater tunc verum domicilium habebat (Vol. I. n. 99), vel, si forte nullum domicilium habebat, ille in cujus dioecesi pater natus est. Si tamen pater in loco ubi ejus filius natus est, tamdiu permanet ut ibi domicilium contrahat, episcopus originis, pro filio ordinando, erit ejusdem loci Ordinarius. (Const. cit.)

Illegitimi, juxta communem AA. sententiam (Honorante, Praxis Secretariae Urbis Vicarii, c. 1. not. II), sequuntur domicilium vel originem matris, esto de patre certo constet ; iis tamen applicanda non videtur dispositio Const. Innoc. XII de patre domicilium alicubi post natiuitatem filii contrahente. Expositi, quorum parentes ignorantur, censendi sunt originarii loci in quo expositi fuere. (Honorante, l. c.)

Episcopus originis pro neophytis censendus est ille in cujus dioecesi

(1) Advertit P. Schneider (ad 3^{am} edit. Lucidi) " quod res, absque discussione in plenario auditorio, per simplicem audientiam expedita fuit. "

baptizati sunt. (Pauli III Const. *Cupientes*, 31 Mart. 1542) Idem videtur dicendum de haereticis qui rebaptizantur sub condicione. (Gasp. n. 807)

2^o *Ratione domicilii*. Hic tamen non sufficiunt solitae acquirendi domicilii condiciones, sed, ex cit. Const. Innoc. XII, requiritur : a) Ut candidatus *vel* per decennium saltem in ordinantis dioecesi sedem fixerit, *vel* majorem rerum ac bonorum suorum partem, cum instructis aedibus, in eundem locum transtulerit, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit. Quantum sit istud *considerabile tempus* probabilis episcopi judicio relinquitur (Ball. P. n. 40) — b) Ut in utroque casu se vere et realiter animum perpetuo manendi habere jurejurando affirmet.

3^o *Ratione beneficii*, vid. quando ordinandus in dioecesi ordinantis pacifice possidet beneficium, quod per se et absque ulla patrimonii adjectione ad congruam vitae sustentationem sufficiat. (Const. Innoc. XII cit.) In regionibus nostris, cum pauca sint beneficia, praeter curata, vix quisquam ratione beneficii ordinatur.

4^o *Ratione familiaritatis*, vid. quando ordinandus saltem per triennium cum ordinante commoratus fuerit, eique actu inservierit et ejus sumptibus alimenta obtinuerit. Insuper oportet ut, saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, ordinans ordinato conferat beneficium quod ejus sustentationi sufficiat. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 9 ; Const. Innoc. XII cit.)

Nihil prohibet quominus is qui habet plures episcopos proprios, modo hunc, modo illum adeat ; sed necesse est ut de ordine jam recepto testimoniales litteras afferat (Const. Innoc. XII cit.), neque variet *in fraudem*, puta adeundo unum episcopum proprium postquam ab alio rejectus fuit, repulsa ista prorsus reticita. (Gasp. n. 853 seqq.)

Tandem notandum venit speciale decretum quod S. C. C. 20 Julii 1898 edidit de ordinatione eorum clericorum qui, ut sat crebro hodie obtinet, e sua dioecesi digrediuntur ut in alia sedem figant : quem in finem a suo Ordinario petunt *excardinationem*, id est plenam ac perpetuam demissionem, eaque innixi in dioecesi *incardinationem* seu adscriptionem implorant. Hos clericos ab episcopo cujus dioecesi adscripti fuerint ad ultiores ordines promoveri posse statuit S. C. C. Sed de ratione qua eadem adscriptio facienda sit, sequentia decrevit : " 1^o Incardinationem faciendam esse ab episcopo non ore tenus, sed in scriptis, absolute et in perpetuum, id est nullis sive expressis, sive tacitis limitationibus obnoxiam ; ita ut clericus novae dioecesi prorsus mancipetur, praestito ad hoc juramento ad instar illius quod Const. *Speculatores* pro domicilio acquirendo praescribit. — 2^o Ad hanc incardinationem deveniri non posse, nisi prius ex legitimo documento constiterit alienum

clericum a sua dioecesi fuisse in perpetuum dimissum et obtenta insuper fuerint ab episcopo dimittente, sub secreto, si opus sit, de ejus natalibus, vita, moribus ac studiis opportuna testimonia. „

432. IV. Ut episcopus alienum subitum licite ordinet, requiritur expressus consensus praelati, qui, quolibet e praedictis titulis, sit ordinandi proprius. (Trid. Sess. 14. de ref. c. 2) Hic consensus per se etiam ore tenus dari potest; regulariter autem concedi solet scripto seu litteris quae proprie *dimissoriae* dicuntur. Has concedere nequit Vicarius Generalis, nisi episcopus hanc specialem facultatem ei concesserit vel in remotis versetur. (6ⁱ Decr. l. 1. t. 9. c. 3) Eisdem post annum a Sede vacante dare potest Capitulum seu Vicarius Capitularis quibuslibet subditis; infra annum vero non nisi artatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, i. e. iis qui vel actu obtinent beneficium quo certus ordo, ex. gr. presbyteratus pro parochia, intra annum exigitur, vel ad idem electi sunt (Trid. Sess. 7. de ref. c. 10) Censuras latas contra Capitulum quod dimissorias indebite concesserit vel contra eos qui, illarum vi, majores ordines susceperint, videsis n. 625, II et n. 620, IX.

Poterit quoque episcopus ordinare alienum subditum cujus episcopus proprius per publicam sententiam declaratus sit suspensus. (6ⁱ Decr. eodem tit. c. 2)

V. Regulares ordines suscipere debent ab episcopo in cujus dioecesi situm est monasterium ad quod pertinent. Attamen eorum Superior dimissorias dare poterit ad quemcumque alium episcopum, si dioecesanus abest vel ordinationes habiturus non est, dummodo non distulerit de industria concessionem dimissoriarum in id tempus quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus esset ordinationes. (Decr. S. C. C. jussu Clementis VIII 15 Mart. 1596 editum) Idem semper potest Superior illorum regularium qui directe a S. Sede obtinuerint facultatem suscipiendi ordines a quocumque catholico antistite, ut Soc. Jesu concessit Gregor. XIII 22 Sept. 1582.

Regularium nomine hic veniunt non tantum sollemniter professi, sed et ii qui triennium votorum simplicium decurrunt (n. 82): hi tamen, secluso indulto speciali, ad minores tantum ordines promoveri possunt. (Decr. S. C. super statu Reg. 12 Jun. 1858) Probabile quoque est (S. Alph. n. 765; Piat. Prael. J. Reg. I. p. 120) novicios pariter ordinari posse ab episcopo dioecesano, sive ex quodam privilegio, sive quia animum habent perpetuo manendi in monasterio, atque ita domicilium in eo contraxerunt: quem animum jurejurando testari deberent. Multi tamen (Gasp. op. cit. n. 931) novicios, perinde ac saeculares, dispositionibus Const. *Speculatores* subjacere autumant. His certe subjacent alumni

Congregationum votorum simplicium (S. C. Ep. et Reg. 6 Maii 1864 ap. Lucidi, op. cit. t. II. p. 603, et 9 Febr. 1894 ap. Act. S. S. t. 26. p. 616), nisi et ipsi speciale privilegium a S. Sede obtinuerint.

433. VI. Minister ordinationis servare debet quae ab Ecclesia de tempore ordinum conferendorum statuta sunt. Videlicet:

1^o Tonsura conferri potest, etiam extra Missarum sollemnia, quocumque die et hora. (Pont. Rom.)

2^o Minores ordines conferri nequeunt nisi diebus Dominicis et festivis duplicibus, mane tantum et congruentius inter Missarum sollemnia, quamquam etiam extra illa conferri possunt. (Pont. Rom.) Nomine autem festorum duplicium veniunt ea quae in catalogo Urbani VIII recensentur (n. 226), licet postea per S. Sedem abrogata fuerint (S. C. R. 12. Nov. 1831), minime vero quilibet dies qui ritu duplici in choro tantum celebrantur: obstat enim constans interpretatio S. C. C. et S. C. R., ut statim de collatione ordinum sacrorum dicemus.

3^o Ordines sacri, incluso presbyteratu, conferendi sunt tantum in sabbatis quattuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis et in Sabbato Sancto, neque aliter quam intra Missarum sollemnia. Saepe tamen S. Sedes dispensat ut *extra tempora* ordines conferantur vel suscipiantur. Qui tali privilegio donati sunt, ordines sacros conferre vel accipere possunt in quibuslibet Dominicis vel diebus festivis, ea ratione intellectis quae supra de minorum ordinum collatione explicata est, minime vero in diebus qui tantum in choro ut festivi celebrantur. Id elucet praesertim e responso S. C. C. quae interrogata: "An diebus festivis duplicibus, non tamen de praecepto, possint ordines sacri conferri habentibus breve dispensationis apostolicae super interstitiis, vel extra tempora „, 15 Jan. 1689 respondit: "Negative, sed tantum diebus festis de praecepto. „ Videtur tamen servari posse consuetudo latius interpretandi talem dispensationem, sicubi per decennium saltem vigit. (Lehmk. II. n. 605)

Facultas conferendi ordines *extra tempora* intellegenda est, ex mente S. Sedis pluries manifestata, de diebus festivis non continuis, sed interpolatis: sic enim rescripsit S. C. de Prop. F. (Gasp. n. 78), allegans responsum datum a S. Inq. 5 Mart. 1712. (Coll. P. F. n. 1187) Regulares tamen habere solent privilegium ut ordinentur diebus festivis *etiam continuis*.

4^o Episcopatus conferri potest tantum diebus Dominicis et in festis Apostolorum; ut autem alio die conferatur, obtinendum est indultum a S. Sede. (Pont. Rom.) Semper inter Missarum sollemnia conferendus est.

434. VII. De loco quo ordines sint conferendi, haec sunt tenenda :

1^o Tonsura et minores ordines quocumque loco conferri possunt. (Pont. Rom.)

2^o Ordinationes ss. ordinum, juxta Trid. (Sess. 23. de ref. c. 8), habendae sunt publice et in cathedrali ecclesia. Attamen hoc. Trid. decretum ita temperavit usus ut ordinationes particulares semper, ordinationes vero generales justa de causa haberi possint etiam in alia ecclesia publica. (Gasp. n. 100)

3^o Consecratio episcopalis, juxta Trid. (l. c. c. 2), si extra curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam episcopus residentialis promotus fuerit aut in provincia, si commode fieri poterit, celebranda est. Practice etiam alibi celebratur, quia in ipsa Bulla promotionis concedi solet facultas accipiendi consecrationem ab antistite quem elegerit promotus.

VIII. Minister ordinationis regulariter tenetur absolutam intentionem habere conferendi ordines eis quibus manus imponit et consueta instrumenta porrigit : ne cum gravissimis incommodis dubia de valore ordinum collatorum multiplicentur. Quare cum episcopus, juxta Pont. Rom., vetat ne quis ad ordines suscipiendos accedat canonico impedimento irretitus, haec mera prohibitio censenda est, minime vero putandus est episcopus nolle eos, qui cum tali impedimento accederent, ordinare. (Bened. XIV, de Syn. l. 8. c. 11)

CAPUT. III.

DE SUBJECTO ORDINIS.

435. I. Subjectum **validae** ordinationis est omnis et solus mas baptizatus, ut praesertim ex perpetua Ecclesiae traditione elucet. Valide igitur ordinantur infantes, perpetuo amentes, naturaliter inhabiles ad susceptos ordines exercendos, etc. Feminae vero, ex ipso jure divino, incapaces sunt ordinum qui sunt divinae institutionis ; ceterorum vero, ex Ecclesiae perpetua voluntate. De intentione saltem habituali quae ad validam ordinum receptionem in adultis requiritur, dictum est n. 125).

Ad licitam ordinum susceptionem multa in subjecto requiruntur : quorum praecipua hic breviter recensebimus. Jam supra (n. 24 seqq.) dictum est quatenus divina vocatio ad ordines, praesertim majores, suscipiendos sit necessaria. Actum quoque est de statu gratiae ad licitam sacramenti vivorum, qualis est ordo, susceptionem. (n. 128)

Adverte tamen hanc gravem obligationem non probari de ordinibus qui verius sacramenta non sunt, nisi ordinatus communicare velit : ad quod sub gravi non tenentur nisi presbyteri, quia cum episcopo concelebrant. (S. Alph. n. 801) In tr. de Censuris et Irregularitatibus explicabitur quatenus immunitas ab istis impedimentis in ordinando requiratur.

Ut Ecclesiae constet ordinandos requisitis dotibus instructos esse, haec statuit Trid. (Sess. 23. de ref. c. 5) : " Ad minores ordines promovendi, bonum a parcho et a magistro scholae in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parcho, aut alteri cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita, a fide dignis diligenter inquirat ; et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quamprimum transmittat. „ Ex his verbis patet praedictas publicationes iterandas esse ante singulorum ss. ordinum susceptionem : quamquam in quibusdam dioecesibus, semel vel bis omitti solent, praesertim ante diaconatus susceptionem. Ab earum obligatione eximuntur non solum Regulares, sed etiam religiosi cum votis simplicibus ad congregationem a Sede Apostolica approbatam pertinentes : his enim omnibus satis provisum est tum informationibus ante habitus susceptionem (n. 80), tum Superiorum vigilantia. (Gasp. de s. Ord. n. 701) A quonam autem parcho istae publicationes faciendae sint, episcopi prudentiae reliquitur, cum a Trid. non determinetur. In iisdem inculcanda est obligatio denunciandi parcho vel curiae episcopali impedimenta quae aliquem e candidatis a s. ordine removeant. Quatenus ista obligatio singulos fideles afficiat, facile colliges ex iis quae dicemus n. 452 seqq. de obligatione revelandi impedimenta matrimonii.

II. Qui prima tonsura initiandus et, a fortiori, qui ordinandus est, **sacramento confirmationis** unctus esse debet. (Trid. Sess. 23. de ref. c. 4) Id tamen, ex communi sententia (S. Alph. n. 786), sub veniali tantum praecipitur : quia levis inordinatio in defectu confirmationis apparet.

III. Aetas pro singulis ordinibus requisita haec est :

1^o Pro tonsura et ordinibus minoribus, saltem septennium completum. (Pont. Rom.)

2^o Pro subdiaconatu annus aetatis vigesimus primus, pro diaconatu vigesimus secundus, pro presbyteratu vigesimus quartus completus. (Trid. l. c. c. 8) Hodie solet episcopis communicari a S. Sede facultas dispensandi super defectu unius anni, sed tantum ad sacerdotium susci-